Quelle: https://manuscripta.at/?ID=35053
Copyright: Brixen/Bressanone, Priesterseminar/Seminario Maggiore

alios ewangelistas centenis appareat turpitudo / Porro autem cum dominus et in resurrectione nubendum non esse testetur et ea que dimissa fuerint propter se recipienda in hoc tempore cum persecucionibus asseveret / Quas utique persecuciones illi chiliaste / sicut et cetera quoque convivia mille annis suis cimodis abire confirmant. Census igitur iste est / Cum propter ewangelium Christi carnalia reliquerit / spiritualia bona recipiet que comparatione et merito sui ita erunt quasi paruo numero centenarius comparetur / Quoniam fratribus atque consortibus propositi sui qui ei spiritali glutino colligantur multo graciorem etiam in hac vita recipiet caritatem. lege actus apostolorum / quia multitudinis credencium erat cor unum et anima una / et erant illis omnia communia / nullus quoque egens erat inter eos / qui sua pro domino reliquerant / De quibus et apostolus ait / tamquam nichil habentes et omnia possidentes / Potest sane hoc quod dicit / accipiet centies tantum nunc in tempore hoc domos et fratres et sorores et matres et filios et agros / cum persecucionibus / pro significacione aliquatenus intelligi. Centenarius quippe numerus de leua triplatus in dexteram / licet eandem in flexu digitorum videatur tenere figuram quam

habuerat denarius in leua minimum tamen quantitatis magnitudine succrescit quia videlicet omnes qui propter regnum dei temporalia spernunt / et in hac vita persecucionibus plenissima eiusdem regni gaudium / fide certa degustant in extrema spectacione patrie celestis / que iure dextera significatur cum parte electorum sincerissima dileccione fruuntur. Verum quia multi bonum studia / non eadem qua incipiunt intencione pietatis consummant / sed ut accepto virtutum amore tepescunt ut ex integro ad scelerum volutabra relabuntur / Scribit mox prima subinfertur / Multi autem erunt primi novissimi / et novissimi primi. Vide enim Judam de apostolatu in apostata versum. et dicito quia multi erunt primi novissimi / vide latronem in cruce factum confessorem / eodemque die qua prius cruciatus est peccatis / gratia fidei cum Christo in paradiso gaudentem / et dicito quia et novissimi erunt primi. Et et cottidie videmus multos in laico habitu constitutos magnis vite meritis excellere / et alios a prima etate / spiritali studio feruentes / ad extremum ocio torpentes lascescere atque inerti sollicitia quod spiritu acceperunt ut ceperunt carne consumare

In illo tempore dixit Jhesus discipulis suis Non turbetur cor vestrum. Creditis in deum